



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Præfatio,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

TRACTATUS DECIMVS.

De Virtutibus Theologicis.

A quaestione i. secundæ secundæ D. Thomæ, usque ad 47.

P R Æ F A T I O.

TRIBVS in rebus Christiani culminis fundamenta consistunt, idest in fide, spe, & charitate, inquit Zeno Veronensis. Fides immotum religionis fundamentum, cui cætera virtutum dona innituntur, & quæ firma sunt, rerumque sperandarum substantia & hypostasis, primum inchoat Christiani hominis, & ad cælestia nati, vitæ motum, aperitque oculos, & ad eternam illam & incommutabilem veritatem attollit, ad quam spes suspiret, quam charitas complectatur; & tanquam æterni luminis umbra, obscurior radius, ut longius protensa lux, in obscuriorem radium desinit, immensam lucem beatis mentibus, cum aspiraverit dies, & inclinata fuerint umbra, paratam; obscuritate quadam, ad nostrarum mentium imbecillitatem temperatam, involvit. Fides enim (inquit Bernardus) lucem non extinguit, sed custodit: ut inaccessible æterni luminis splendores, in umbris fidei posita, ferre paulatim mens discat. Bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum preparat luci.

Serm. de
fide, spe,
& cha-
ritate.

Spes, quam idem Zeno fidei gloriam, & Hilarius maximum fidei stipendium appellant, cui presentia subjacent & futura; illa, quia contemnit; ista, quia sua esse presumit, desideriis languens, manus & brachia ad eternam pulchritudinem tendit, quæ inter fidei umbras, intercepta luce se prodat; loquitur, respicit, & ex hebreo, promicat per cancellos, instar timentis videri, aut alternis vicibus occultantis sese & prodentis, ut sui desiderium accendat; ad quam eâ vehementius animus fertur, quod spe, firmâ suæ salutis anchorâ, quâ adversa & sævæ fortune fluctus sustinet & frangit, erectus, eam sibi promissam, & ex parte exhibitam cernit, ut jam aliquid etiam ultra spem audeat; cum sola spe gaudet, & inter possessionem & expectationem affectus dividit, sentitque possessionis gaudium, & spei desiderium.

Charitas quam fides concipit, & ad quam spes currit (inquit Cassiodorus) utraq; felicior, fidei umbras prætergressa, & spei suspiria, sese totam in Deum immittit: secedit à se (ut ait Augustinus) & excedit à sensibus, ut se non sentiat quæ Deum sentit. Hæc enim felix & cæleste gluten, quod animam supra seipsam, supra mortalia, penè supra cælestia erectam, Deo jungit, cum mens (ut inquit idem Augustinus) ineffabili Dei illecta dulcedine, quodammodo se sibi furatur, imò rapitur, & à se labitur, ut æternâ pulchritudine, quam fides ostendit, spes optat, charitate fruatur.

Hanc igitur virtutem triplicem, quâ triplici religionis vinculo, aut nunquam solvendo funiculo, homo Deo devincitur, hic explicandam suscipio. Quid verò sperare debeas, erudite Lector, non dicam: ex aliis quæ hactenus præmisimus, facile ipse intelliges: sunt enim quedam ingeniorum temperamenta, & quæ varias res, veluti varia condimenta, appetant. Ingenij tui gustum consule: quæ enim exhibeo, superioribus simillima sunt; argumentum non ignobilius, methodus eadem, idem Angelicus Doctor quem interpretor; nisi quod sanctissimi viri, nunquam melius quàm de virtutibus, arcanâ quadam consensione, sympathiâ, & ut ipse Doctor Sanctus loquitur, connaturalitate, sentiunt. Vale: opto ut quæ de virtutibus scribam, nedum intelligas, sed & sentias.

C c ij